



The Holy See

PIUS PP. XII

*EPISTULA AD EXCMUM P.D. IOSEPHUM DA COSTA NUNES,
ARCHIEPISCOPUM GOANUM, DAMANENSEM ET CRANGANORENSEM EUMDEMQUE
PATRIARCHAM AD HONOREM INDIARUM
ORIENTALIUM, QUINQUAGESIMUM AB INITIO SACERDOTIO
ANNUM IMPLETURUM, CUIUS METROPOLITANAE SEDI
«ROSA AUREA» A SUMMO PONTIFICE DEFERTUR.**

VENERABILIS FRATER SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Exeunte proximo mense Iulio, ut libenter cognovimus, decem, a suscepto sacerdotio lustra, opitulante Dei gratia, ipse perficies. Cuius profecto iucundi eventus opportunitatem laeti arripimus, ut secunda vota Nostra atque omnia publice tibi significemus. Sacerdotio enim initiatus, credita tibi in primaevo iuventutis flore munera sollerti cura obiisti, praesertim Vicarium Generalem agendo in dioecesi Macaonensi inque clericorum Seminario atque in Lyceo docendo. Postquam dignitate episcopali ornatus es, primo quidem in ditone Macaonensi per viginti annos, deinde in ista, cui praees, patriarchali sede pastoralis officio assiduas sedulasque curas tribuisti. Peculiaris autem sollicitudo tua enituit in excolendis ecclesiasticis vocationibus inque operibus missionariis alacriter fovendis.

Tibi igitur, Venerabilis Frater, de sacro pastoralique ministerio tam diu actuoseque gesto ex animo gratulamur, saluberrima quaeque ac felicissima a Deo ominantes.

Quo interea luculentius exstet memoria sollemnum quater saecularium, quae in honorem Sancti Francisci Xaverii istic, te moderante, tanta magnificentia recens celebrata sunt, decrevimus ad nobilissimam vetustamque sedem istam Rosam Auream deferre, ut custodiat in Basilica a Bono Iesu, ubi reliquae celeberrimi illius evangelii praeconis religiose asservantur.

Perspicui sane sunt interiores sensus, qui in hoc dono continentur : scilicet in ipso flore ac

splendore auri Iesus Christus eiusque regia maiestas ostenditur, qui flos campi et liliū convallium appellatur, atque in eiusdem floris fragrantia bonus Christi odor commendatur, qui a fidelibus eius vestigia sectantibus late suaviterque diffunditur.

Quo autem sacerdotii tui natalis utilior evadat, ultro tibi facultatem damus, ut, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, ad Ecclesiae praescripta lucranda. Superni denique auxilii in auspiciū, inque peculiaris Nostrae caritatis pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis. Frater, cunctoque clero ac populo tuae curae tradito peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVII mensis Iunii, anno MCMLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

PIUS PP. XII

**Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII, X,*

Decimo anno di Pontificato, 2 marzo 1948 - 1° marzo 1949, pp. 639 - 640

Tipografia Poliglotta Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana